

F

11. 75



B. 442^b



RECTOR ET SENATUS VNIVERSITATIS ALTORFINAE.



Vo maior praeclariorque Germaniae
nostrae felicitas est, quod, dispulsis
barbariei tenebris, ea in sinu suo artes
liberales nutrit, et quamplurimis scho-
lis atque Academiis exsplendenscens praestantissi-
marum scientiarum decus tuetur atque auget: hoc
magis mirantur dolentque probi ac cordati homi-
nes, in illis disciplinarum domiciliis vitaeque ho-
nestae sacrariis innumera et deploranda malae vi-
tae exempla dari, eosque, quos oportebat mora-
tissimos cultissimosque esse, saepe omnium per-
ditissime vivere, et cum salutis existimationisque
suae periculo aliquando ad arma ruere, maximum
libertatis usum in conuitiandi decertandique licen-
tia collocantes. Quae moris prauitas ne latius ser-
pat, et in maiora demum mala erumpat, S. R. I.
ORDINES in Comitibus Ratisbonensibus identi-
dem serio grauiusque deliberare coeperunt. Ne-

X

que

que ipse solum Augustissimus IMPERATOR; sed alii quoque magni PRINCIPES, atque Imperii STATVS, inprimis perniciosam illam pugnandi cupiditatem, summa seueritate, grauissimisque poenis sancitis refranandam constituerunt, vt vindicentur defenda nturque boni; prauorum vero hominum ferocia reprimatur, et ciuibus vsquequaque tranquille placideque in Academiis inter se colere liceat. Quae causa est, cur etiam nostri MVNIFICENTISSIMI NVTRITORES, pro laudabilissima cura, qua in Academiam suam, quam magnifico tuentur impendio, nunquam non optime consulunt, non solum seria illa edicta, quae ad regendam Academiae disciplinam pertinent, ac inprimis, quae ab Anno cIo Io cxcvi hucusque proposita fuerunt, in ciuium nostrorum memoriam reuocanda; sed etiam ad haec tempora magis accommodanda, et, exasperatis poenis, ita praescribenda duxerint, vt improbis et seditiosis Ciuibus omnes elabendi viae magis magisque praeccludantur, et literati ordinis decus atque tranquillitas certius asseratur. Quibus statutis vt sua constet auctoritas, et ne quis praetexat ignorantiam, ea vt in praesenti promulgentur, legibusque Academicis inferantur, et singulis annis repetantur renouenturque, iusserunt.

I. An-

I.
Ante omnia ergo seuerè statutum decretumque est, vt Ciues Academici, cuiuscunque fuerint conditionis, controuersias suas atque iniurias, si quibus affecti fuerint, nec ipsi, nec per alios, vlciscantur, aut conuitiis armisque dirimere conentur; sed vt easdem aequo iure coram legitimo magistratu disceptent.

II.

Quia vero tranquillitatis publicae plurimum interest, vt praecipue initia et faces dissidiorum opprimantur, extinguanturque; ii, qui in absentem iniurias effutiunt, ad palinodiam et deprecationem adstringentur, et pro conditione iniuriosi dicti carceris poena afficientur.

III.

Qui alterum gestibus aut verbis contumeliosis coram lacefferit, aut literas scripserit; quae imminuant existimationem alterius; non solum ad palinodiam et deprecationem compelletur; sed etiam per XIV dies carceris poena mulctabitur.

IV.

Quod si iniuria fuerit atrocior, acriori quoque poena vindicabitur, ita vt, qui alterum manu, baculo, fuste, scutica, aut lapidibus aggrediatur, et eiusmodi seruile instrumentum in alterum strin-
gat

gat solum, eodemque commilitoni minitetur: primum deprecari iniuriam necesse habeat; et deinde publica relegatione eiiciatur: qui vero iisdem armis sordidis alium re ipsa verberet ac caedat, diuturniore carcere in turri primum mulctetur, et deinde sine omni respectu habito ad praetendentem, quasi ad ultionem hanc irritatus ac laceffitus fuerit, subeat solennem poenam relegationis cum infamia coniunctae. A qua poena nec ii, qui alterius nomine talia perpetrant, immunes sunt.

V.

Quicumque in his casibus palinodiam et deprecationem recusauerit; contumaciae incurret poenam. Et, si qui commilitoni, qui hoc legitimo modo iniuriam sibi illatam coram Magistratu disceptauerit, id exprobrare, nec eum pro honesto inter se habere ausint; eandem poenam, quam qui ipsi laeserunt, iniuriamque attulerunt, subibunt.

VI.

Quemadmodum vero, qui laesus iniuriaque affectus fuerit, in huiusmodi publica laedentis ultione facile acquiescere poterit; ita, si ipse consulto deliberatoque animo, eam iniuriam ultum ire, et par pari referre audeat, grauiorem carceris aut relegationis poenam incurret, pro vindictae modo, et deliberandi spatio, quod habuit, determinandum.

VII.

VII.

Qui alterum nihil tale opinantem fuste aut gladio a tergo aggrediatur, pro admissi modo et circumstantiis, aliquandiu in ergastulum Norimbergense dabitur, infamiaque notatus a nostra societate seiungere se necesse habebit.

VIII.

Quando plures inter se conspirantes aliquem violenter fuerint aggressi; singuli aggressores hoc facinus humiliter deprecantur, et grauiore carceris poena affliguntur, neque minus deinde publicae relegationis elogio dimittuntur.

IX.

Si quis eo usque procedat, ut alterum, a quo laesus iniuriam accepisse sibi videatur, ad singulare certamen, quod duellum dicitur, siue verbis, siue literis, siue alio interprete, prouocet; quamuis conflictus ipse non subsecutus fuerit, prouocans tamen primum per quatuor menses ita carcere tenebitur, ut priore mense aqua solum et pane nutriatur, nec ab ullo ibidem visitetur, (quam grauiorem carceris poenam appellamus) deinde a ciuitate nostra in perpetuum exterminabitur.

X.

Prouocatus ad duellum, si non in tempore denunciaret Rectori factam prouocationem, ac eam
sal-

saltem dissimulet, quanquam duellum minus peractum fuerit, per duas hebdomadas carceri includetur. **XI.**

Si qui vero ipso priuato certamine arma conseruerint, siue intra, siue extra urbem, pugnae locum condixerint; infamia notati, deletisque ex tabulis Academicis ipsorum nominibus, ab hac ciuitate literaria, aliisque foederatis, excludentur, et, pro qualitate circumstantiarum, per annum tempus in ergastulo Norimbergensi detinebuntur. Si vero rei forte elapsi fuerint; aliae rationes inibuntur, ut se honore atque existimatione mulctatos sentiant; ac in primis perscriptum temeritatis facinorisque ipsorum elogium, cum Erfurtensi, Ienensi, atque Hallensi, aliisque Academiis, quibuscum hac ex parte iam pactis conuentum est, et porro conuenietur, communicabitur, ut ab iisdem infames et extorres habeantur; neque minus huiusmodi causa ad Magistratum patriae suae publica auctoritate deferetur, iustaque facinoris vindicta exposcetur. Cuiusmodi persequendi ratio, pro conditione delicti, etiam alias, si quis poenae reus aufugerit, habebitur.

XII.

Sicubi in tali priuato conflictu, quod DEVS auertat, caedes perpetrata fuerit; homicida sine omni

omni respectu ac discrimine personarum, additis infamiae notis, capite plectetur; caesus vero caninam habebit sepulturam. Quodsi homicida forte excefferit, eruperitque; eae omnes poenae, quae proxime antecedente lege elabentibus decretae sunt, cumulatius tunc exigentur, et vel in absentem a carnifice infamiae signa edentur.

XIII.

Quicumque operam et consilium conferunt, vel ad prouocandum, vel ad amicum in arena iuuandum; eandem, quam prouocantes, poenam lege hac IX decretam luent. Quin nec ii, qui spectatores pugnae fuerunt, nec eam, quantum in se fuit, impedierunt, aut in tempore denunciarunt, a grauiore carceris poena per octo dies, immunes erunt.

XIV.

Cum aliquando accidat, vt ex composito, per praetextum subitaneae aggressionis, duella, seu singulares pugnae dissimulentur; tunc vtraque pars, nisi iureiurando se purgauerit, poenam duello decertantibus lege XI determinatam dabit.

XV.

Si constiterit, vtique absque compacto atque conditione aliquos, irae impetu percitos, arma mutua conseruisse; nihilominus in auctores rixae grauiora exempla edentur, et ab iis, qui in moderamine inculpatae tutelae modum excefferint, grauior carceris poena per quatuor hebdomadas repetetur. Quod si in huiusmodi concertatione ex subito irae furore orta homicidium commissum fuerit, quod DEVS auerruncet, superstes etiam capitis periculum incurret.

XVI.

XVI.

Sed praeter haec alia sunt, ad disciplinam Academicam pertinentia, eaque iam antiquis Academiae legibus descripta, quae DOMINI ac NVTRITORES nostri munificentissimi iterum iterumque ciuibus nostris inculcari volunt; hocque edicto inprimis decernunt, vt in eos grauiter animaduertatur, qui sacra profanantes pietati et antiquis legibus Academicis, nominatim IX atque X, vim faciunt, ac qui ignes ludicros accendunt, scloposque explodunt, aut qui, sublati hinc inde clamoribus, nocturno tempore discurrunt atque grafsantur: similiterque iubent, vt ii, qui in publicas priuatasque aedes impetum faciunt, easque tumultu ac lapidatione disturbant, seueriore poena compescantur, ac publica relegatione omni deinceps congressu nostro arceantur.

XVII.

Haec adeo sunt, Ciues Optimi, quae scire atque obseruare vestra vel maxime interest. Ne quis, qui has leges transire ausit, veniam delicti aut gratiam temere speret; fixum enim destinatumque est, harum legum contemptum protinus et sine vlla indulgentia vlscisci: cauebuntque inprimis beneficiarii Norici, ne (quod certo futurum ipsis praedice-re et comminari iubemur) excidant beneficiis; seque omni spe gratiae munerumque publicorum olim consequendorum fraudent. Quamobrem, quanta potest fieri animi contentione, per suam quemque salutem monemus atque obtestamur, vt ne exitium nominisque infamiam sua sibi culpa arcessant; sed vt partes suas probitate assiduitate, liberalibusque officiis sustinentes, felicitati suae atque existimationi rectius consulant: et non in rixando, tumultuandoque ac dimicando; sed in colenda pietate, artibusque utilissimis tractandis, veram laudem veramque felicitatem quaerendam esse, certo sibi persuasum habeant.

P. P. Mense Maio, A. R. S. clo lcccxiii.

Gb 580

8


NT

ULB Halle 3
008 589 925



WMA
VD18





Baien

Nachricht

in

den

ersten

Jahren

des

18ten

Jahrhunderts

von

J. G. W. Meyer



A IVRAMENTI
DIOSORVM.

I.

o, me Magnifico Domino Reſtori
ceterisque ejuſdem Dominis Profeſ-
ſoricis, obſequium & honorem debi-

Vniuerſitatis membrs oppidique,



2a.
RECTOR ET SENATVS
VNIVERSITATIS ALTORFINAE.



Vo maior praeclariorque Germaniae
noſtrae felicitas eſt, quod, diſpulis
barbariei tenebris, ea in ſinu ſuo artes
liberales nutrit, et quamplurimis ſcho-
lis atque Academiis exſplendenscens praetantiſſi-
marum ſcientiarum decus tuetur atque auget: hoc
magis mirantur dolentque probi ac cordati homi-
nes, in illis diſciplinarum domiciliis vitaeque ho-
neſtae ſacrariis innumera et deploranda malae vi-
tae exempla dari, eosque, quos oportebat mora-
tiſſimos cultiſſimosque eſſe, ſaepe omnium per-
ditiffime viuere, et cum ſalutis exiſtimationisque
ſuae periculo aliquando ad arma ruere, maximum
libertatis uſum in conuitiandi decertandique licen-
tia collocantes. Quae moris prauitas ne latius ſer-
pat, et in maiora demum mala erumpat, S. R. I.
ORDINES in Comitiis Ratiſbonenſibus identi-
dem ſerio grauiterque deliberare coeperunt. Ne-
que